

PARTIE OFFICIELLE

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

DE ELEVATIONE RITUS AD DUPLICEM I CLASSIS DIE 19 MARTII
S. JOSEPH SPONSI B. MARIAE VIRG. CONF., ET DIE 29 SEPTEM-
BRIS, IN DEDICATIONE S. MICHAËLIS ARCH.

Quum ex Canone n. 1267 § 1, iam vigente, Codicis iuris canonici, inter dies festos de præcepto adnumeretur etiam Festum S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis, Conf., quod maxime decet nobiliori ritu decorare, quumque etiam Festum in Dedicatione S. Michaëlis Archangeli, cum quo militiae caelestis principe omnes angelorum chori honorantur, eadem ritus nobilitate dignum visum fuerit, Sanctissimus Dominus noster Benedic-tus Papa XV supplicibus quoque votis cleri plebisque fidelis ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis libentissime obsecundans, utrumque Festum primarium, respectiva die 19 martii et 29 septembribus in universa Ecclesia recolendum, a ritu dupli secundae classis ad altiorem ritum duplicem primae classis absque octava evehere dignatus est ; atque sub tali ritu dupli primae classis cum subsequentibus variationibus infrascriptis in futuras Breviarii Romani typici reproductiones induendas esse iussit ac decrevit ; servatis Rubricis :

In Kalendario.

19 martii—S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Conf., Duplex 1 classis.

29 septembribus — Dedicatio S. Michaëlis Archangeli, Duplex I classis.

In Catalogo Festorum.

Duplicia I Classis Primaria.

Post Assumptionem B. M. V., ponatur : Dedicatio S. Mi-chaëlis Archangeli.

Post Nativitatem S. Ioannis Baptistae ponatur : Festum S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg., Conf.

In Catalogo Festorum.

Duplicia II Classis.

Expungantur festa Dedicationis S. Michaëlis Archangeli et S. Ioseph.